



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Tribunal Poenitentiæ Sev Libri Dvo Prior De Poenitente Ut
Reo Posterior De Confessario Ut Judice**

Stoz, Matthäus

Anno M.DC.LXXXIX.

Art. II. De scientia Confessarij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37144

ART. II. De Scientia Confessarij.

quia sine causa non licet, ne quidem indirecte, dare proximo occasionem peccandi.

7. Licitum verò est III. in casu extremae, imò etiam gravis necessitatis, aut magnæ utilitatis petere Sacramentum à malo Ministro; quia pono, illum in tali casu posse, si velit, licetē Sacramentum administrare; quod ergo illicetē administraret, illius malitia accidit, ob quam ego non debeo magna mea utilitate privati; multò minus æternū pecire, si eo Sacramento extremè egeam.

8. Hinc ergo si duo sint Confessarij, & m̄hi constet, unum eorum in peccato administraturum Sacramentum Pœnitentiæ, teneor adire alterum, et si sit meus Confessarius ordinarius, aut etiam Parochus. Non enim tanti momenti est mutare Confessarium, ut non teneat propterea illi, etiam indirecte, non dare occasionem peccandi. Secus esset, si nullus alius adesset Confessarius, & ego versarer in periculo vitæ; tunc enim omnino possem, imò etiam tenerer ab illo petere Sacramentum.

9. Ad hoc ut liceat à malo Ministro Sacramentum petere, parùm refert, quod jam antè ad eam ministrationem paratus sit, si quidem cum eadem mea commoditate non possum habere Ministrum, licetē mihi administraturum Sacramentum: si enim possum habere talem, teneor eo uti, sive dein ipse ex officio teneatur conferre Sacramentum, sive non. Et ita id suadet tum charitas erga proximum, quæ unumquemque obligat, ut suo proximo non der sine causa occasionem peccandi; tum etiam reverentia Sacramento debita; si enim cum æquali mea utilitate possum facere,

ut Sacramentum dignè tractetur, ratio naturalis videtur dictare, id esse faciendum. Suar. p. 3. T. 4. D. 28. f. 2. n. 2.

10. Esthīc valde bene notandum, non esse curiosè, nec studiosè aut scrupulosè inquirendum in actiones, & vitam Confessarij, & examinandum, an sit bene dispositus, vel non: hoc enim sine gravi ipsius injurya fieri non potest. Et licet recta videam, eum à patrato scelere properare ad Sacramentum ministrandum, bene tamen de eo præsumere possum, & cogitare, illum, cum primùm ab eo petitur Sacramentum, conteri, & bene esse dispositum.

ARTICULUS II.

De Scientia Confessarij.

11. Si Medicus vel Advocatus imperitus graviter peccat, morbi vel cauæ aliquujus temporalis curam suscipiendo, atque ita hominem in periculum vitæ aut facultatum conjiciendo; tantò gravius crimen erit, animarum curam sine competenti Scientia suscipere, quantò major est æternæ salutis, quam vita & facultatum jaætura. Quapropter omnes uno consensu docent, eum mortaliter delinquere, qui confessionibus audiendis se exponit, nondum debitâ scientiâ instrutus. Videndum igitur, quanta doctrina requiratur, ad munus hoc tutâ conscientiâ obeundum.

12. Quoniam autem Confessarius in hoc Sacramento triplex officium gerit, Judicis, Medici, & Doctoris, & quā Jūdex dijudicare debet conscientiam pœnitentis, in quo statu haec tenus fuerit, in quo nunc sit: quā Medicus præscribere

A 3 spiri-

spiritualia medicamenta , curandis vitijs & tentationibus idonea: quâ Doctor instruere pœnitentem in rebus scitu necessarijs, sive ad fidem, sive ad mores pertineant: sequitur perfectum Confessarium triplici doctrinâ instructum esse debere; Theologico-practicâ ad peccatorum discretionem ; Jure Canonico ad censuras & reservations dignoscendas ; & demum rerum spiritualium notitiâ pro remedii vitiorum ac tentationum præscribendis.

13. In particulari, ut Judex scire debet I. quæ sit materia & forma hujus Judicij: de priori in præcedentibus abunde actum: de posteriori, nempe de forma , dicetur infra n. 79. & seqq. II. an non sit à licito hujus Judicij exercitio impeditus aliqua censura vel irregularitate. III. In quæ peccata & personas se extendat illius Jurisdictio: ex quo capite requiritur scientia casuum reservatorum superiori Judici: perinde sicut Judici in foro externo constare debet, quæ causæ specent ad ejus tribunal. IV. quæ & quam congruae pœnitentiae vindicativæ sint imponendæ. V. An pœnitens sit rectè dispositus ad sententiam absolutionis validè & licitè recipiendam, ne detur Sanctum canibus. VI. an & quas pœnitens habeat obligaciones , de quibus implendus sit commonefaciendus. VII. casus faciliores & crebriores; de abstrusioribus verò ut possit dubitare, & animadversa difficultate judicium suspendere, donec libros vel doctiores consulat: quod quidem tunc faciendum est, si valor Sacramenti aut fructus inde pendeat, v.g. si dubitet, an sit casus reservatus; an injungen- da restitutio ; an occasio deserenda &c.

quo eventu vel differre debet absolutionem, donec dubium resolvatur, pœnitente redire jussò: interim aliam precatiōnem super eum dicendo loco absolutionis, ne notetur dilatio; vel pœnitens ita disponendus , ut spondeat præstare, quod re discussa præstandum intellexerit. In alijs verò dubiis an hoc vel illud mortale sit, non tenetur alios consulere, nec absolutionem differre: quia non est opus de singulis peccatis judicium ferre: modò in fine confessionis de toto statu pœnitentis judicium ferat, sitne magnus peccator, an mediocris, an levis. Ita Suar. num. 2. & 3. Tann. T. 4. D. 6. q. 9. num. 98. Reginald. I. 1. num. 147. neque enim credibile est, Christum tam exactum, & moraliter impossibile judicium requisivisse: quomodo enim Confessarius statim ex tempore judicabit de quolibet actu, num sit mortal is vel venialis ? de quo Doctores toties & tam graviter altercantur, quodque à tam multis circumstantiis pendet.

14. Ut Medicus tenetur scire spiritus-les animæ morbos, eorumque causas & fontes exactè nōesse; alioqui nec medicamenta congrua præscribere poterit. Deinde ut Doctor debet callere modum, quo pœnitens sit instruendus, si quidem egeat: si enim hic sit doctus, & aliunde jam bene instruētus, poterit Confessarius hoc labore supersedere.

15. Non est autem simpliciter necessarium, ut Confessarius hæc omnia per seipsum sciat: sicut enim in alijs officijs Magistratum tam civilium, quam Ecclesiasticorum sufficit, adjunctos habere consiliarios, quorum doctrinâ juventur; ita Confessarius desectum suæ scientiæ alieno

ART. III. De Prudentia Confessarii.

alieno consilio poterit supplere , dummodo ad manum habeat libros aut viros doctos, quos consulat. Quia vero nemo alium consulit, nisi dubiter, & nemo dubitat, nisi aliqua ratio difficultatis appareat; tantum saltem doctrinæ habeat oportet, ut difficultatem cernere , & orto dubio ad alios consulendos impelli queat : quod fit, si saltem aliquid audierit, vel legerit, et si distincte non recordetur, quid dicendum.

16. Ceterum iis , qui operam audiendi confessionibus dabunt, solatio potest esse illud, quod Elamas in Merib. 1.p. c.7. §. 4. tradit , eum ad hoc munus latius doctum esse, qui integrum summam casuum saltem unius Doctoris Catholici vel in scholis audierit, vel accuratè & diligenter legerit, vel subinde repetiverit: quia in talibus summis , quantum fieri potest, omnes materiae casistica tractari solent. Nec adeo requiritur summa scientia; nam scholastici nimis subtiliter omnia rimantur, ubique dubitant, & objectiones movent, nec acquiescent nisi in evidentiibus, cuiusmodi in re morali vix haberi possunt: unde sunt perplexi & hæsitabundi , & se aliosque implicant. Unde fit, ut mediocriter docti , sed libera mente & sereno iudicio prædicti , plerumque hoc munus melius & fructuofius obeant, quam doctissimi quique: non enim oportet in hoc iudicio nimis subtiliter excutere, sed crasso modo, ut ait Victoria in *summa* n.120. Inspiciatur praxis Ecclesiæ, quales explicantur Confessarii; certè non omnes doctissimi. Num ideo damnabimus omnes Prælatos Ecclesiæ, quod tales Confessarios constituant. Intueamur etiam bonitatem & clementiam Christi, quia non vo-

luit instituere carnificinam animarum, ut ait Trident. Sess.14.c.5. & cum præsciret, quotidianam fore hujus Sacramenti necessitatem & usum , paucos vero eximiē doctos repertum iri, utique tam exactam doctrinam non exigit: si qui errores committantur, per invincibilem ignorantiam bona fides excusat.

17. Si quis de seipso dubiter, an sufficierit sit doctus pro audiendis confessiōnibus, acquiescat iudicio Episcopi, vel alterius Superioris; in dubio enim standum esse iudicio Superioris, communiter docent: quod tamen cum grano salis accipiendum est; si Superior sit doctus & prudens, ut advertit Tann. D.6. q.9. d.5. n.96. indocti enim & imprudentis Superioris arbitrio non tutò fidit, cùm non sit eorum officium de doctrina iudicium ferre, quatenus præcisè Superioris sunt, sed quatenus viri docti , prudentes & boni. Experimento enim constat, Superioris quosdam in deputandis Confessariis graviter errare, dum homines prorsus ineptos exponunt. Sed si necessitas exigit, præstat, qualemcumque, quām nullum, pastorem populo præficere. In tanta tamen Religiosorum copia omne periculum, quod ab indoctis pastoribus oriri potest, videtur facile caveri posse. Pro articulo vero mortis quilibet satis doctus est, modò essentialia Sacramentorum, quæ in illo articulo ministrari solent, ac debent, nōrit.

ARTICULUS III.

De Prudentia Confessarii.

18. Doctrinæ accedere debet Prudentia, ne quis doctrinæ abutatur , ut sape con-